



DISSERTATIO
De
GENERATIONE SALIUM.

§. I.

N quantum fastigium bina hæc Salia, acidum & alcali, ante aliquot annos eversa fuerint, & quanto ausu haud obscuri Nominis Viri in Principiorum censum ea referre, & ex illis rerum omnium naturalium motus ac phaenomenorum causas deducere allaboraverint, Medicis pariter ac Physicis notissimum est. Uti autem res humanæ omnes & surgunt & cadunt, & quæ cecidere resurgunt: sic idem quoque fatum Sententiæ & Opiniones mortalium experiuntur, & dicta quoque de Acido & Alcali hypothesis passa est, quæ, multo prius applausu excepta, radices non egit, sed ubique jam existimatione excidit, monstratâ à Clarissimis Ingeniis horum Salium pro stabiliendis Principiis infirmitate.

Acidum & Alcali à multis pro Principiis Chymicis habita.

§. II. Quantumvis autem bina hæc Salia minime in numerum Elementorum recipi possint, utpote quæ non primæ & simplicissimæ corporum, sed primariæ potius corpusculorum, ipsis adhuc simpliciorum, concreciones sunt: ingenuè tamen fatendum est, doctrinam de hisce salibus magnam lucem accendisse

Ex quibus etiam alterum eorum tantum eo nomine dignum sit; ex utroque tamen plerique in Naturalibus effectus deduci ac possunt.